Nr. præs. 61.

VIII.

NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus

Tarnoviensis

Commendator Ordinis C. R. Austriaci Francisci Josephi &c. &c.

universo Vener. Clero salutem et benedictionem!

Tribus jam vicibus*) inter alia ad Venerabilem Clerum fecimus verba de periculis, quibus exponitur *patrimonium S. Petri*, ac religio catholica; nec non de angustiis, quibus idcirco premitur Pater Orbis, Sanctissimus Papa Pius IX. cui Deus omnes has amaritudines, quibus tota Ecclesia christiano-catholica modo afficitur, submisit in sua sapientia, justitia et charitate, ac permisit Capiti Ecclesiae qua primo et summo bajulatori crucis imponi, ad exemplum Xristi Domini crucifixi, ut insimul dextera Dei humiliati revertamur ad Eum, qui est fons vitæ et consolationis omnis. Obtestati sumus non minus universum Ven. Clerum, ut populum fidelem de genuino rerum statu non edoceret solum, verum directis Romam versus oculis funderet quoq. junctim cum eo preces publicas ac privatas pro avertenda tempestate funesta.

---

*) Utpote in Currenda XI. ex A. 1859. sub Nr. praes. 146. porro in Cur. II. ac IV. sub Nr. praes. 24 anno cur.

A prima Provocatione Nostra sex jam effluxere menses, et nullum addubitationi damus locum, quin Dilectissimi in Christo Fratres uno cum grege, imo cum pio totius orbis populo intra illorum spatium, incessanter orationi hunc in finem vacarent, orationemque jejunio non minus, quam pœnitentiæ lachrymis fulcirent, ac insuper nunc lugubrem Ecclesiæ statum threnis Prophetarum Jeremiæ ac Isaiæ deplorarent . . . quum undiq. novellæ tristiorem in dies Romanarum ditionum sortem . . . nobis annuntient. Reparator salutis totius mundi, cujus acerbissimam mortem recte meditati sumus, non obstantibus deprecationibus nostris nedum *exurgere et liberare propter nomen suum* . . . . dignatus est Vicarium suum, imo passus est avulsionem *Romaniæ* inviscerationemq. Imperio Sardinico, limitum extensionis studiosissimo . . quopropter reditus Sedis Apostolicæ nunc tantopere conquasatae imminutionem haud exiguam experiuntur.

Quamvis Princeps ditionum Romanarum utpote substantiæ totius orbis circa tuenda jura Sua solicitissimus continuo contra tantam injuriam protestetur; quamvis aggressores et occupatores Patrimonii S. Petri, ob tanta crimina publica censuris ab Ecclesia universali, et ultimo in Conc. Triden. ses. XXII. C. 11. statutis inodaverit, seu indignos communione fidelium et beneficiorum spiritualium publice declaraverit &c. quamvis Ipsemet ac totus orbis Catholicus ad januas cœli pulset, misericordiam divinam exorando; nihilominus Italicæ adhuc *fremunt gentes et populi meditantur inania* . . . subvertere ordinem Regnorum minorum, quia *astiterunt principes* tres majores *et convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum* (unctum) *Ejus* . . . et populi concitati per illos principes clamitant: *Dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Pulsis principibus hæreditariis quæramus alios, constituamus rempublicam; a nobis leges condantur; simus cuncti æquales! Ast principes illi fortiores oculos sibi claudi patiuntur, ne videant vulcanum suis in regnis, qui vastissimo in gurgite suo coquit elementa heterogenea nimis, mox expansibilitate sua eruptura, et ipsissima eorum solia combustura. Nec sibi in aurem suggeri sinunt monitionem divinam in Psalmo 104, 15. „*Nolite tangere Christos (unctos) meos.*“ Facinora, quae suis in regnis morte plectunt, illa per emissarios in provinciis exteris disseminare, revolutionem excitare et continuare haud verentur; nec haesitant suo agendi modo ipsissimæ gloriae crimen inferre suae! haud secuti Regem David, qui asserrere potuit ad populum „*Loquimini de me coram Domino et coram Xsto ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, si oppressi aliquem — si de manu cujusquam munus accepi* 1. Reg. 12, 5. nec memores verborum Domini. „*Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suae detrimentum patiatur.*“ Math. 16, 26. aut illorum „*Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando facias.*“ Tob. 4, 16. Populi sub regimine Clementissimi Principis Romani, tributis non onusti, immo beneficiis a tanto Reformatore condonati, Annis 1848 et 1849 nec somniassent de revolutione; aut nunc de tanta vicissitudine,

quae adhuc imminere cernitur, nisi notissimi Principes jure fortioris fascinnati fomenta ad despoliationem imo pulsionem minorum in Italia Principum suppeditassent, atq. nunc post felicem successum commovere per satellites non cessant flexibile in omnem partem vulgus, ut instar commotæ olim plebis Jerosolimis tempore Christi, clementissimi Principis Sui repente immemor clamitet: *crucifige*, *crucifige*.... Satellites Satanæ mira de reipublicae emolumentis depraedicant populis; at e contra de Regimine sacerdotali monstra et spectra exhibent. Etsi ausus tantos aliquo sub praetextu palliare valerent, quis illis tribuit quaerimus, tantum jus, tantam in alienam haereditatem . . vim . . ? Si impune invadere non licet domum aut agrum alienum; nec turbare opificem, aut rem alienam aufferre; nequidem se patronum rei œconomicæ alienæ obtrudere; eo minus ob aliquem prætensum neglectum, agrum ipsum sibi appropriare . . quo jure attrectant surripere Romano Pontifici jura majestatica, provincias ejus a piissimis donatas benefactoribus?! Quo ex titulo jus sibi arrogant immiscendi se regimini minorum principum et expostulandi concessiones pro subditis, qui lenius, liberius et honestius tractantur, quam ipsorum populi!? Papa Ipse pro Sua persona vix plura expendere noscitur, quam plebanus, paucis contentus; thesaurus publicus pensionibus ob viduas et proles vix oneratur, quia plurimi e Clero publica obeunt munia; et ipsimet officiales e statu clericali temperantiae asseclæ subditos aere suo sublevant; militia ipsa ante huncce turbulentum rerum statum parum constabat; plurima erga redituum pars in opera pia convertere licebat.

Cum horrore legimus paginas historiæ medii ævi, quæ nobis monstra juris fortioris (des Faustrechtes) tetris depingit coloribus: et ecce sæculo labente, quod tantoper de Europæ populorum cultura gloriatur, jus isthoc omne in ævum detestandum . . . nunc in Italia Principes fortiores a Providentia divina ad tuendum jus publicum et privatum; ad conservandum jus nationum et ad quodlibet æquum justumq. fœdus constituti quoq. e diutiori exilio quasi revocant atq. quoties libuerit, exercere non erubescunt trium Regnorum principes!

Placuit quidem Reparatori salutis hominum contentari donis Judæorum, quando per tres annos magisterio fungebatur; placuit non minus Apostolos et sacerdotes ablegatos in universum mundum sustentare quoq. eleemosynis conversorum: ast conversis tot populis, stabilito jam in Hierarchia ordine, et præfixis populi fideli pastoribus, certo loco alligatis, placuit rursus concitare opulentiores ad dotandas ecclesias et episcopatus; ad formandum Successoribus S. Petri in terris patrimonium, ne diutius et Rectores ecclesiarum particularium et eo minus Rector universalis, populis fidelibus ob sustentationem maneant molesti; neve ob nexum hunc eleemosynarium tantopere dependerent a suorum arbitrio, impedirenturq. in liberiori muneris sui circa salutem illorum exercitio ... Etsi direptionem plurimarum dotationum, aut imminutionem ecclesiasticorum redituum, quam Providentia divina ob inscrutabilia judicia permiserat, deploremus, semper tamen humiliantes capita et Providentiæ divinæ confidentes, clementiam Patris cœlestis

exoremus, ne ulteriores in ecclesiæ bonis desolationes fiant per manus iniquas... Cunctos execremus ausus, qui Pontificem expoliarent terris hucusq. possessis, et providerent pensione arbitraria traderentq. inspectioni Potestatis civilis Religioni Catholicæ, ut perhorrescendum, inimicæ, quæ sæpe ligaret manus Ejus in gerendis Regiminis spiritualis gubernaculis, imo quæ, ni obsecundaret ejus placitis, pensionem illam occludere vix hæsitaret.

Utinam omnes, qui omnimodam populorum salutem reponunt in certis Regiminis civilis formis, saperent et agnoscerent veritatem longiori experientia comprobatam; quod prosperitas populorum tunc speranda, si reges atq. populi exequuntur Mandatum Salvatoris: „*Quærite primum Regnum Dei et justitiam ejus, et reliqua adjicientur vobis*“;.. si Imperantes se gestiunt vasallos Regis Regum, si magistratus, seu in publiciis officiis constituti non sua, sed quæ Dei, principis ac populi sunt, præ oculis habeant, et nullo non tempore religiosissime curanda curant; si e contra populi conscientiose cum *timore* et *tremore obediunt* et Deo et super se constitutis Potestatibus; si omnes et imperantes et imperatis subjecti præterea eloquii div. memores: *Sine me nihil potestis facere*, quotidie numen divinum pro benedictione superna ad sûa molimina proba exorare haud intermittunt,. juxta monitum Salvatoris: *Petite et dabitur vobis*!.. Utinam diligenter volverent paginas historiæ sacræ de fatis populi Judaici theocratia condonati sub judicibus, regibus &c. volverent et historiam profanam, quo convictionem nanciscerentur de eo, quod nulla civitas sine religione et virtute consistere, et sine benedictione divina prosperare valeat, seriusq. aut citius exitium suum deplorare cogatur.

Pia ejusmodi consideratione refecti fiduciam collocamus in Eum, qui tot jam Potentias iniquas confregerat; tot Successores Petri ex hostium manibus eripuerat; qui tametsi e consilio inscrutabili longiores adhuc in Vicarium Filii Sui et tribulationes Ejus pateretur, nihilominus destinavit quoq. horam, qua finis tantæ ponatur iniquitati exoriaturq. *justitia et abundantia pacis. Qui habitat in cœlis, irridebit eos: et Dominus subsannabit eos* Ps. 2. 4. *Et delebitur*, ita Isaias XXVIII. 18. et 22. alloquitur conjuratos, *fœdus vestrum cum morte et pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra. Consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram.*

Sed Fratres in Christo Dilectissimi! ignoramus redemptionis horam; et Vicarius Christi, qui in reditibus suis ob avulsionem Provinciæ Bononiensis coarctatus cernitur, jam ad colligendas copias, jam ad manutenendum ordinem sæpius turbatum, quum ei non liceat accipere a Catholicis Principibus rei sanctæ propensioribus, auxiliares propugnatores vel limitum defensores, summas majores erogare cogitur.. Quid dicamus de indigentiis ad sustentandos Cardinales et Sacerdotes, Legatos, Nuncios, Vicarios Apostôlicos in toto orbe di-

spersos; ad juvandos Missionarios; ad conservandas tot basilicas et scholas, tot varii generis instituta piia!? Essemus ingratissimi filii, si modo Patris Sanctissimi indigentiis succursum denegaremus.. Patris, qui nobis mittit Præsules et per hos gregi fideli pastores; qui magnanimus Successor veneratur tot Pontificum, quos legimus in historia Irrigatores fidei Catholicæ rore in provinciis hujatibus ac finitimis... qui vigilantissime providet saluti Catholicorum totius orbis, benedictionem in omnes partes diffundit atq. Numen divinum exorat quotidie etiam pro nobis... Gravitatem obligationis membrorum summam erga Caput totius Ecclesiæ, erga Centrum unitatis fidei, omnes procul dubio pii jam agnoverunt fideles, ad quos tristissimus de nefando Sedis Romanæ statu nuntius pertigerat. Primi nefors iique inter ditissimos Britanniæ Protestantes... pauperrimi Regni Hiberniæ Catholici, prout quondam Christiani in Asia, Macedonia, Corinthi et aliis in urbibus eloquentia Doctoris gentium concitati collectas miserant pro miseris in Palæstina, collectiones pro ferendo quæstionis auxilio instituerint.. et illos sequuntur innumeri incolæ variis in regnis e castris nostris, etiam in Diœcesibus jam vicinis imo e Diœcesi Nostra jam plures parochiæ quotas pias Patri indigenti submiserunt.

Dum hodie sub Missa solenni a Reverendissimo Capitulo, Clarissimo Professorum Collegio et reliquo Ven. Clero hujate percipiebam apprecationem felicissimi Alleluja, reddebamq. vicissim, cor Nostrum dilatabatur quidem, ast coarctabatur quoq. idcirco, quod Caput Ecclesiæ visibile sub amaritudine percipit similia addictionis ex parte P. T. Cleri vota. Utinam ingeminiscebamus, populus meus fidelis nunc præ gaudio spirituali jam exultans et lautiori victu a crastino fruiturus, recordaretur Patris sui Romæ afflictissimi et accingeret se ad parsimoniam, abstimentiamve a rebus variis non adeo ad vitam sustentandam necessariis, ac contribuerent opulentiores plus, pauperiores minus, quisq. pro sua conditione! Non diffitemur quidem, quod et Venerabilis Clerus et populus fidelis impræsentiarum majori ex parte obulis haud affluat, attamen conditio hæc non adeo misera, ut quisq. non valeret unum aut plures obulos hunc in finem offerre. Fratres in Christo Dilectissimi! suscipientes a Nobis gratulationem ad festa paschalia de victoria Christi super mortem; de victoria vestra ac populi super peccata, seu de resurrectione spirituali... pulsate corda fidelis populi energica fatorum Patris Clementissimi Pii IX. et Religionis Catholicæ periculorum descriptione... ad collectiones in templis, aulis et domibus instituendas, quotas collectas ad Ven. Officia Decanalia *intra 1. mensem* transmittite, quæ non tardabunt eas ad Nos expedire. Hoc in negotio præprimis Clerus junior, utpote principiis de Primatus sanctitate ac utilitate non minus, quam de patrimonii S. Petri necessitate sanioribus imbutus excellat oportet. Non dubitamus, huncce omnem impensurum operam, nec numeraturum passus ad pulsandas januas fidelium, opibus affluentium religiosorum; piorum vere catholicorum institutos inventurumque pro hocce pio negotio quemquam ex parochianis juvamen præstiturum; nec exposcimus munus intollerabile aut donum ultra vires

sed licet parum ast libenti animo oblatum, cum Deus datorem ardentis et alacris animi amore prosequatur.

Desiderio magno desideramus, ut possimus nuncii esse laeti, amoris Vestri erga summum Pontificem affirmantes: Neminem vestrum licet per unicum cruciferum attamen ex intimo corde oblatum denegasse ad auxilium ferendum Patri suo.

Si Parochi Nostræ Dioeceseos zelosi et Patri nimis angustiato propensi proprio marte, stimulo pietatis et gratitudinis excitati non exiguam jam summam pro indigentiis tot memoratis congerere valuerint, firmam collocamus spem in eo, *qui potens est*, fore, ut et reliqui nunc per Nos provocati suffulciantur benedictione divina inveniantq. aures intendentes in vocem deprecationis Nostræ . . . Collectam pro Papa in Missa ultro recitantes et populo fideli denuo 1. *Pater* et 1. *Ave* cum *Gloria Patri...* pro quolibet die commendantes, habeatis pro eleemosynis his gratiam et coronam repositam penes Illum, cujus Vicarium in terris egentem fulcire conamini!

Spem autem in Eum reponimus, qui nobiscum usque ad consummationem saeculi manet, quare et persvasum habemus, tempestates turbulentas procellasque temporum supra caput Summi Ecclesiarum Episcopi modo effusas, transituras, solemq divinæ gratiæ super faciem Ecclesiæ romano-catholicæ iterum oriturum, Sumumque Rectorem Ecclesiae totius orbis terrarum e babilonico fornace igneo salvum atque incolumem imo auctis viribus exiturum, nec non illius fortitudinem in defendenda veritate et justitia licet et ab infidelibus admiratum imo sine dubio magnos gloriæ fructus e rebus gestis perceptum iri, et sic *misericordia et veritas obviabunt sibi, justitia autem et pax sese osculabuntur.* Ps. 84. Pax Vobis Cunctis, Alleluja!

Dabamus in Palatio Eppali Tarnoviæ Sabbato Sancto, 7. *Aprilis* 1860.

Josephus Alojsius

Episcopus Tarnoviensis.

Z. 1276.

Der Ankauf einiger Bücher zu einem sehr frommen Zwecke wird anempfohlen.

Der Krakauer Buchdrucker Karl Budweiser hat dem h. k. k. Landes Präsidium nach Hochdessen Eröffnung v. 4. April l. J. Z. 805. 910 Stück Bücher, überwiegend religiösen Inhaltes, mit der Widmung übergeben, daß der Erlös aus deren Veräußerung zu Gunsten der Wittwen und Waisen der in Italien gefallenen Krieger verwendet werde.

Von diesen Büchern steht die in dem beiliegendem Verzeichnisse ·/. enthaltene Anzahl dem h. Landes-Präsidium noch zur Verfügung.

In der Voraussetzung, daß der Ehrwürdige Klerus mit Rücksicht auf die Widmung des Erlöses für diese Bücher den Ankauf oder die Veräußerung derselben nicht versagen werde, findet man die Ehrw. Dekanatsämter hiermit aufzufordern, Uns bis Ende Mais l. J. die Auskunft zu ertheilen, ob und wie viel Exemplare übersendet werden können, wobei bemerkt wird, daß es keinem Anstande unterliege, solche auch mit einem ensprechenden Nachlaße vom angesetzten Verkaufspreise zu überlassen. Verzeichniß

1. Nabożeństwo na cześć ś. Kazimierza 14 Stück zu 40 kr. 2. Rozmyślanie gorzkiéj męki Jezusa Chrystusa 6 Stück zu 80 kr. 3. Młodzież chrześciańsko katolicka w obec świętych Sakramentów kościoła Bożego 24 Stück zu 50 kr. (książka do modlenia) 4. Marya von Anton Malczewski deutsch von Ernst Schroll 81 Stück zu 1 fl. 5. 6 ważności modlitwy 100 Stück zu 18 kr. 6. Ks. Franciszka Gusty z włoskiego na polskie tłumaczona Historya kościoła Ruskiego in 2. Bänden 80 Stück zu 2 fl. ö. W.

Vom bischöflichen Konsistorium. Tarnow am 12. April 1860.

N. 1358.

Observatio quoad Conspectus fundationum et Tabellas pro Sacristia.

Consilium ob parcendum labori et chartæ hisce præbetur, ut Vener. Curati, qui nedum fundationum Conspectus vel Tabellas pro Sacristia ad revidendum approbandumve horsum submiserant, eos,

a) non statim in *mundo*, aut in *pluribus* exemplaribus, sed in *maculari* tantum et in *uno* exemplari pro trutinatione immittant.

b) Inter positiones, quae singulari Consistorii censurae subjiciendae supponuntur, vacua relinquant spatia, in quibus correcturae, supplementa a resp. Referente adscribi possent.

c) In mundis exemplaribus e maculari abhinc correcto vel ampliato descriptis, una saltem philura tabellariter adornata ad finem, pro apponendis futuris nefors fundationibus, prostet; et in Tabella pro Sacristia, quae in tabula vitro provisa (w ramie za szkłem) resplendeat, jam margines a dextris et a sinistris *vacui* relinquantur, nec non ad calcem supersit spatium pro capiendo sigillo Consistoriali, approbationis formula et subscriptione.

N. 1220. 1231. 1267. 1351.

Gratiarum actio etc. pro Missis in rem Piscinae S. Stanislai susceptis.

I. In Decanatu *Pilzn.* 52 susceperunt: Ri et AR. Wcislak, Bereznicki, Ząbecki, Witalski per 2. AR. Rybarski 3. R. et AR. Krzeczowski, Łomnicki, Wojnowski, Grębosz et Wiesiołowski per 5. R. Przewoźniczek 10. et R. Muchowicz 1.

II. In Dec. *Bochn.* 80. videlicet: R. Guzik 2. ARi Marold, Danek, Wędkiewicz per 3. Ri Karcz et Szczepański per 4. Ri et ARi Protzner, Przybyło, Migdał, Wańczyk per 5. Perillustres Mroczkiewicz 18 et Gluziński 20.

III. In Dec. *Brest.* 44. nimirum Brzesko et Uszew 1. Jasień, Wojakowa et Gosprzydowa per 2. Poręba et Chronow per 3. Ven. Curatus Lipnic. 4. Vetero-Wisnic. et Rajbrot per 5. Rs Guszkiewicz 6 et R. Kalinowski 10.

IV. E Dec. *Czchov.* 19 lectas et 7. Cantatas utpote Gwoździec, Olszyny, Gnojnik et Domosławice per 2. mixtim; Biesiadki 4. et Tymowa 10. reliqui P. T. Curati per 1. excepto Zakliczyn, quibus omnibus nomine Ven. Conventus PP. Paulinorum in Rupella Cracov. grates aguntur, suffragia mem. Conventus assecurantur et benedictio divina promittitur, nec non benedictio Nostra elargitur.

N, 1239 et 1312.

Ulterior collectio pro Missionibus publicatur.

E Decanatu *Bochn.* 1) e parochia *Łapczyc.* 1 Rh. pro Missionibus in Africa centrali. 2) pro redimendis vero infantibus æducandisve in China 9 Rh. nimirum ab ARis Curatis in Chełm, Krzyżanowice, Rzezawa et Trzciana per 1 fl. et a reliquis P. T. Presbyteris per 20. 30. 50. 60. et ultra xc. V. A.

Hos laude dignos Presbyteros Deus ter Optimus Maximus benedicat, aliosq. in Decanatibus reliquis ad similia opera piissima excitet.

N. 1319. et 1357.

Piis ad aram suffragiis comendantur:

Anima p. m. Ri Francisci Josch Cooperatoris Cięszkovic. quoad exornandam domum Dei zelorissimi, Consodalis Societatis pro f. m. die 6. April. a. c. Cracoviae in nosocomio S. Lazari, et ARi Ignatii Nowak Curati Krzęcin, 13. m. c. demortuorum; nec non 1. Missa pro anima Ri Josch Consodalibus superviventibus inculcatur.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 19. Aprilis. 1860.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.